DE INFLAMMATIONIS NOTIONE,

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU
ATQUE AUCTORITATE,

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

PUBLICE DEFENDET AUCTOR

GUILIELMUS FRIDERICUS HEMPRICH,

GLACENSIS SILESIUS.

DIE VIII AUGUSTI A. MDCCCXVIII.

H. L. Q. C.

BEROLINI,

EX OFFICINA PLATENIANA.

PROOEMIUM.

Plurima jam de morbo hic nuncupato, de inflammatione scilicet, nuperrimis temporibus medicorum sententias adhuc tantopere movente, existunt conscripta; viri jam tot docti et illustres eam perscrutationibus acutissimis investigarunt, ut amni guttulam affundere videar, his omnibus meas addens pagellas. Sed cum in morborum contemplatione additamentum etiam minimum aliquam habeat utilitatem, mea quae pauca et sane sat manca de isto morbo et affinibus cogitavi, audaciter prodo, lectoris mihi expetens indulgentiam. Non inveniet ille diligentem rei pertractatae litteraturam in dissertatiuncula nostra, quam, qui desiderat, sat completam, vix vero sat criticam, habebit in: Meyer Versuch einer critischen Geschichte der Entzündungen; non inveniet inflammationum decursus nec omnes ipsarum varietates pathologice enumerata; non inveniet eorum medelam et medicaminum ipsis adaptandorum adumbrationem. Placuit solummodo theses theoreticas proprias, spectantes pathologicam inflammationum distinctionem et definitionem in medium afferre, quas vero non omnino novas sed ab aliis ex parte mutuatas esse autoribus, lubenter confiteor.

§. 1.

Inflammatio vitae organi incrementum est subitaneum, irritabilitate quidem et reproductione tunc nimis vigente, nervea vero actione solummodo per vitalem nexum in vitium simul tracta. Inflammatio semper est morbus acutus, activus, febrilis, continuus vel leviter remittens, semper signis certis, inprimis dolore (rubore et turgore adhuc, si partem externam est aggressa) conspicuus, functione organi simul vel aucta gradu, vel impedita, nec aliegani simul vel aucta gradu, vel impedita, nec alienata. Nec ulli partis affectae particulae non insidiatur; non solummodo in vasis capillaribus vel in tela cellulosa haerens.

§. 2.

Quamquam mihi non in animo est, critice adumbrare omnes jam promulgatas inflammationis definitiones et descriptiones, tamen commemorare juvabit clarissimorum virorum Gruithuisen et Reil de hac re placita.

Gruithuisen sequentem offert inflammationis definitionem: „Das Wesen der Enrzündung ist nichts, als die organische Thätigkeit der Höhersteigerung des durch irgend eine krankhafte Affection auf eine tiefere Stufe gestellten Parenchyma, zwischen dem vorigen, dabey verschwundenen Capillar-Gefäfs-System, durch welche die sanguinische und lymphalische Capillar-Gefäfsbildung und Entstehung der Poren und Nerven zu erfolgen pflegt.“

Multum abest ipsi hoc concederem, sed antequam breviter expositam recenseo opinionem, experimenta, quae attulit Thomson, huc spectantia, perlustrabo. Hic enim cum in ranae palama arte-

riarum contractionem videret ammonii admota solutione sat aquosa, infracta simul circulationis in vasis capillaribus velocitate, credidit se inflammationem movisse; et eodem modo, ubi admoto natro muriàtico soluto in his vasis vidit accelerationem circulationis, credidit, adfuisse phlogosin, ipse licet contendat, per hunc stimulum ut plurimum effici retardationem in vasis. Respiciendum potius fuisset, sat memorabile istud phaenomenon, contractio nempe arteriarum per ammonium, per natrum vero muriaticum ipsarum dilatatio, subortae. Credo nempe, per hanc a sali culinari admoto confectam in his vasis dilatationem sat comprobari sententiam, quam primi viri Illustres Horn et Rasori edidere, contrastimulantia scilicet haec esse medicamina, quae saepe etiam alvum non moventes, vel alio quid corpori detrahentes modo, deprimant et debilitent. Horum medicaminum duas existere familias mihi persuasum habeo, primam, eorum vitam vasorum et irritabilitatem diminuendo quae agant, quo verbi gratia salia plurima, nitrum inprimis et acida fortiora; secundam vero, eorum quae nervorum infringant actionem, hosque uberius porrecta paralytica quasi relinquant, quo exempli gratia acidum hydro-cyanicum referendum. Per natrum muriaticum palamae admotum Thomson diminuendo partis irritabilitatem congestionem isti concitavit, per ammonium vero partis irritationem; in neutro casu aderat inflammatio. Ipse dicit, se, cum acu pungendo inflammationem conficere voluisset, per nimios animalis dolores ejusque motus inde detentum fuisse, et nunc, cum immoto animali per

chemicum agens irritabilitatem partis excitaverit paululum, jam sibi ipsi persuadet adfuisse inflammationem. Concedo, adfuisse aliquid inflammationi simile, tamen nego hunc statum cum inflammatorio statu in homine, vel in animali alio mammis praedito, comparandum.

In animantibus frigidi sanguinis inflammatio stricte sic dicta neganda est, cum desit vitae irritabilis ipsis intensitas ad hanc necessaria. Quis hominum in ranae palama, vel in rana ipsa, vel in lacerta morbum observavit inflammatorium? Quis unquam in his vidit animalibus aut abscessum, aut gangraenam, aut glandularum indurationes, inflammationis sequelas? Nostris temporibus, si in rana, imo in insectulo, quid observarunt autores hoc misero adaptant mox homini, nec respiciunt differentias ingentes, quas physiologicas et anatomicas (psychologicas ut taceam) nos scimus distinguere eum a caetero animalium agmine et caterva.

Gruithuisen etiam experimenta instituit, quae vero ipse describere omisit, solummodo ea, quae ope eorum vidit, afferens. (Organozoonomie in prooemio.) Data inflammationis causa, ille narrat, vasa capillaria sanguifera multa evanescere, circulationem in remanentibus retardari et haec ipsa vasa inde ampliora evadere; inter haec vasa globulos sanguineos formari, irregulares, catenatim sensim sensimque sibi agglutinatos, sicque demum vasa ampla capillaria construi, sanguine primum in his immoto manente et saepe simul pultiformi, donec in priora vasa lymphatica se inseruissent. Parenchyma capillaribus interjectum vasis focum prae-

bere processui mox nuncupato organico, ipsique eo magis favere, quo propius adhuc ejusdem formatio ad naturam polyposam accederet, et quo magis telae cellulosae formam offerret. Quae omnia veritati proxima mihi videntur nec reprobanda, cum meae de inflammatione sententiae optimum suppeditent argumentum. Tamen dubium movendum, an vasa ista sanguifera tam subito in inflammatione oblitterata novaque alia procreata fuerint? An in periculis ejus vera adfuerit inflammatio?

§. 3.

Necesse est, crebrius emergat phlogosis in tela cellulosa, partibusque ex ea conflatis, in membranis et vasis. Tela nempe cellulosa (vel gelatinosa potius, recte monuit primus Wolf, dein Blumenbach) totius quasi est corporis et partium majoris dignitatis germen ac fons, ex qua per processum organicum sempiternum partes diversae corporis humani provocantur. Ut recte intelligar, tela gelatinosa eodem modo licet vocari basis omnium corporis humani partium, quo monas dicitur totius regni animalis prototypus. Erravit Oken credens, conglomerationem monadum sufficere ad formanda corpora animalium, errarunt item physiologi, qui organa e tela gelatinosa confecta credunt condensata magisque unita. Ista tela gelatinosa dynamice involvit vim et facultatem nobilioris vitae, et si per auctam actionem organicam morbose accenditur vitae intensitas, exoritur inflammatio. Partes jam nobiliores (ut hac voce utar) et organa stricte sic dicta, quorum aegrius exaltatur et alienatur actio, veram inflammationem rarius patiuntur. Jam

nimis distincte certam vitae rationem inierunt, ac ut aberratio facile contingere possit.

Quae, cum ipse agnoscit Gruithuisen, errasse mihi videtur, contendens: ubique necessariam esse parenchymatis morbosam affectionem, qua in minorem dignitatis gradum detruderetur. Nam tela gelatinosa, quem vitae organicae animalis gradum minorem assumere potest, ipsa jam polyposae gelatinae proxima? Haec si adhuc in illa decresceret vita, sane tota perditum iret. Quid? quod subito in sanis saepe oritur inflammatio, praevia neutiquam causa debilitante. Non requiritur denique in quavis inflammatione hoc vitae decrementum antecedens, cum nullo modo tale ubique nuncupetur, et item hypothetice assumtum non suggerat meliorem inflammationis declarationem.

§. 4.

Affert Gruithuisen tunc in allata descriptione naturae morbi nostri: parenchyma inter vasa capillaria abolita sedem esse inflammationis, et tamen idem, enarrans, quae resultaverint ex ipsius experimentis, vasa ex parte solummodo evanescere, et recens formata alia, eo demum vasa evadere, quod anastomosi se jungerent cum pristinis remanentibus, contendit. In primis vero est vituperandum, illum non solummodo vasa capillaria sanguifera per phlogosin dicere gigni, sed item nervos et poros. Experimenta ejus hoc non probarunt, nec quidquam hujusmodi offerrunt. Unde ipsi nunc audax ista hypothesis? Seduxit autorem falsa, novissimis temporibus sat divulgata opinio, productionem embryonis per inflammatorium fieri statum. Cum cadu-

cam membranam vidissent physiologi in primo graviditatis stadio simili modo utero adnecti, quo membranae spuriae, inflammationis producta, organis affectis jungi solent, jam crediderunt inflammationem provocasse foetum, ejus partium formationi subfuisse. Ubi locorum vero inflammationem simul tam validam, simulque tam paucis concomitatam signis invenies? Recurrunt autores ad propriam uteri vitam, dicentes, ipsius subinflammationem, quasi specificam, efficere, quod alia efficere nequeant, organa inflammata. Sed, cur foetus in abdomine, cur in tubis accrescere valet? Nullomodo cum hucusque demonstratum sit, in generatione quid inflammatorii adesse, laudabit sane nullus Gruithuisen ex foetus formatione jam per analogiam concludentem in inflammationem, processumque ipsam concomitantem organicum. In parte inflammata sane irritabilitas et reproductio, et quidem in toto simul organo auctae sunt, sic ut vel nervi irritabiles magis et reproductivi sint; ubi vero nervi provocantur et formantur novi, ibi credo veram adesse generationem, comparandam cum foetus in utero formatione, nec inflammationem. Talis vero in parte singula generatio certe non occurrit.

§. 5.

Reil vix meliora attulit. Descriptio ejus inflammationis nimis est laxa. Phlogosin nempe cum definiat omnem anomaliam processus organici, vasorum imprimis vitio exortam, morbi necesse est, ipsi audiant inflammationes, diversissumi, nec vinculo tam arcto conjungendi. Quaevis leucorrhoea, quodvis fere profluvium tunc inflammatio est; nam

has secretiones ex maxima parte ope vasorum confici, constat, et anomalia processus organici non vacant. Tophus et arthritis, hydrops omnis et phthisis pituitosa item inflammationi proxima, nisi ipsa inflammatoria essent, si hanc clarissumi viri sequeremur definitionem. Nec assentio eidem, dicenti, omnem inflammationem vasorum morbum esse, nos verbo improprio de inflammatione cordis, cerebri et caetera loqui, cum sanguifera solummodo vasa minora inflammationi focum praebeant. Vituperat idem Haller et Plattner, sedem qui inflammationis in tela cellulosa quaesiverint, et tamen ipse alium in errorem trahitur non minus gravem, cum reliquarum partium organum inflammatum constituentium morbosam neget affectionem. Inflammatio certe non vasorum organi inflammati, sed totius organi morbus, quod in irritabilitatis trahitur focum, quasi vasculosam sibi assumere vult naturam. Reproductioni sicuti vasa inservit inflammati organi pars. Respiciamus experimenta clarissimi Thomson et Gruithuisen, quae nobis omnino demonstrant, oriri nova vasa vel vasis quid simile, in parenchymate intervasculari; haec vero ut oriantur necesse est, ambientium actio partium et mutatio. Item non assentio autori gravissimo, ubi, arterias imprimis inflammatione laborare dicat contendatque, suffultus iisdem meis argumentis, credensque, morbum et affectionem arteriarum, (vita venarum, nervorum et parenchymatis integra,) non valere symptomata adducere, qualia inflammatio praebeat; non valere producta construere, qualia ex inflammatione videamus, nec quid esse pluris, nisi meram arteriarum irritationem.

§. 6.

Propriam nunc necesse est perlustremus, pauloque prolixius explicemus sententiam. Inflammationem morbum dixi semper acutum, quare, quid nominem morbum acutum, hic loci statuere, juvabit. Licet non magni faciam numerorum in morbis definiendis usum, nec mihi valeat divisio pathologorum, qui omnem certum dierum numerum supergredientem morbum appellent chronicum, divisio, quam inprimis minus rite inter recentiores Burdach refocillarunt et Sprengel, tamen divisionem morborum in chronicos et acutos lubenter agnosco, definitionem commutans amborum, eorumque totam respiciens naturam. Etenim credo assentientibus Reil et Henke, chronicos morbos eo facillime ab acutis distingui, quod hi omnia vitae suae studia majori cum rhytmo et cum vehementia (plerumque etiam citius) percurrant, majoresque et celeriores, tamen certiores formarum offerant mutationes.

Acutum ergo istum nomino morbum, qui stadia sua eo absolvit modo, ut nunquam per dies quasi subsistens accrementum vel decrementum capere desinat; qui certos praebeat exitus et distinctos, quique crises offerat et metastases veras. Nec omnimodo spernendum habeo quod a Celso mutuavit Conspruch criterium, nempe vitae discrimen in his esse majoris momenti morbis, citiusque imminere, sed solummodo uti signum diagnosticum morbi acuti accessorium valet, cum mitiores febres certe acutas vix permissum sit ob periculi vitae defectum chronicis adnumerare morbis.

§. 7.

Elucet ex mea inflammationis in genere definitione et characteribus ejusdem praepositis naturalibus, me omnino excludere ex serie horum morborum istas affectiones pathologicas, quas minus rite inflammationes chronicas, occultas, passivas, intermittentes autores nominarunt, nec habituales me agnoscere phlogoses. Ex Reilii partibus stare item non possum, qui inflammationem affert synochicam, typhosam et paralyticam, cum synochicam semper hanc esse mihi sit persuasum. Sed jam ipsi assensio, ubi inflammationem spuriam infestat eamque refellit, quacum simul refellendam et ex tabulis medicis delendam habeo inflammationem sic dictam nervosam, nec non lymphaticam, serosam, puram atque impuram. His de omnibus nunc paulo fusius.

§. 8.

Inflammationes quas chronicas et habituales dixerunt autores, jam credo vel esse unius ejusdemque inflammationis recursus repetitos, vel jam exitus phlogoseos praegressae. Sic enim in ophtalmitide tunica adnata alias vix halitum edens, organon fit maxime secretorium, et si remediis non sat cito ad pristinum statum revocatur, in glanduloso fungosum quoddam abit, perpetuo excernens et propriae suae formae et structurae omnino fere expers. Nunc nobis, sed false audit inflammatio chronica, cum potius de exitu inflammationis esset dicendum, et de pessumdatione et mutatione vitae organi per hanc inducta. Etsi mihi objicient fortasse multi, fines ubi inflammatio abierit in morbum insequentem, ab ipsa distinguendum, non facile esse de-

monstratu, tamen mea valebit distinctio. Ubi functio organi alienata omnino est, nec solummodo turbata, impedita vel gradu aucta, ibi non amplius adest phlogosis, sed ejusdem sequela. Ubi jam promergit typus plane alius, decursusque morbi plane mutatur, ibi nomen prioris morbi non amplius congruit. Plerumque etiam fines inter morbum ejusque exitus sat sunt notabiles, ita ut autores stadiorum sub nomine jam dudum ambos disjunxerint. Nec parvi pendenda, vel plane spernenda ista morbi ipsius et productorum ejusdem dissectio, quae neglecta nobis offert eodem sub nomine comprehensa: pthises et inflammationes, scirrhos et indurationes, abscessus et ulcera.

In phthisi florida item loquuntur autores de inflammatione chronica, sed hic jam distinctae semper potius et se invicem excipientes observantur inflammationes, e quibus singulis pulmo quidem in sequentem evadit proclivior, quin tamen ita inter se sint nexae, ut in unam coalescant.

§. 9.

Antequam ulterius progredimur in nostra inflammationis finium disquisitione, juvabit de affinibus pauca afferre, sententiamque nostram, quoad formas ab inflammatione separandus, modumque quo sint disjungendae, antea edere.

1. Jam recte Anglorum plures, sub nomine *irritation* distinxere ab inflammatione statum quemdam, ubi vitae organorum actio quidem aucta, sed non eo aucta est, ut morbus typicus distinctus, qualis inflammatio est, inde evadat. Credo, nos pro synonymo merito accingere huic irritationi

Anglorum: orgasmum et plethoram commotam veterum, erethismum recentiorum nonnullorum (nec tamen eum, quem solummodo ad papillas nerveas pertinentem, habet Walther et alii physiologi) et demum congestionem autorum activam. Differt hic status ab inflammatione imprimis decursu saepius chronico, productis morbosis nullis, cum reproductio secundario solummodo laboret, et affectione inprimis sensibilitatis. Irritatio ergo dicitur nobis vitae sensibilis et irritabilis organi cujusdam incrementum plus minusve subitaneum, reproductione serius et per consensum solummodo peccante. Huc omnis post animi affectus sanguinis in parte confluxus, saepe sat transitorius; huc congestiones sic dictae, onaniticorum hominumque nervosorum, erethicae et activae. Huc saepe status cerebri in febri nervosa, pro inflammatione imponens.

2 Henke vix sat apte cum forma mox nuncupata illum comparat in infantibus statum morbosum, quem Formey sub nomine: nisus formativus nimius descripsit. In irritatione nempe, qualem nos eam definimus, nondum emergunt producta morbosa, et illa nullo modo est formativa. In nisu vero sic dicto formativo nimio (quod nomen jam propter facilem cum Blumenbachiano nisu formativo, e physiologia sane delendo, commutationem, non susciperem) producta evadunt etsi serosa, lymphatica, mucosa. Haec forma, quam breviore et aptiore nomine hic *Exuberantiam* appellare placet, in primis eo differt a phlogosi, quod in hac factor reproductivus magis sit affectus. Producta inde nascuntur copiosa, formam organicam sibi fa-

cile assumentia vel fluida, vel membranacea, cum e contrario producta et sequelae inflammationis genuinae, suppuratio videlicet, induratio et gangraena, vix non ab ea excludantur. Prosilit ubi organorum evolutio adhuc perdurat, vel ubi reproductivum systema jam physiologicis ex rationibus praevalet; ergo in adolescentia, in graviditate sicque porro.

§. 10.

3. Congestio mihi est omnis vitae organi decrementum non subitaneum, quo imprimis irritabilitas et reproductio imminuitur, nervea vi sat adhuc valente. Congestionem solummodo habeo passivam, unicam, veram; activam ad irritationem referens. Huc ad congestionem meam pertinet autorum plethora ad vires.

4. Plethora demum mihi ille status submorbosus, ubi sola reproductiva aucta est in organismo integro (vel in parte?) sphaera, irritabilitate et sensibilitate adhuc integris, nec in potestatem reproductionis nimiae attractis. Vasa eorumque contenta hic inprimis peccant tamen ceterae corporis vires adhuc sufficiunt ad statum sanitati proximum sustinendum. Urgebit quis fortasse, vix reproductionem solam intensitatem majorem sibi assnmere posse, nisi ipsorum nervorum impulsu, sed respiciendum est, esse nervos ante alios reproductioni inservientes, hosque sufficere ad augendam reproductionis actionem. Etsi systema reproductivum certum non existat, uti nervorum habemus et vasorum, tamen foci sunt in organis stricte sic dictis reproductionis praecipui, haecque sunt organa item plerumque plethora laborantia.

Plethorae duplex agnosco genus, nempe:

a. Plethoram ad vasa, vel veram, (ad molem, ad habitum etc.) Vis reproductiva plastica in primis suis initiis nimis viget, indeque uberior, quam quae sanitati par est, sanguinis copia formatur. Factor prior reproductionis, haematopoësis caeteros praevalet et fere exstinguit.

b. Plethoram apparentem (spuriam). Hanc minime praetereundam censeo, cum simul ac Treviranus credam, inesse etiam sanguini non solummodo vitam, sed item vim se ipsum promovendi; hancque ad plethoram refero omnia morbosa phaenomena, ubi sanguis ipse specificis stimulis irritatus nimis in vasa agens, symptomata excitat conspicua. Sufficiet respexisse tot venenatas substantias, quae sanguinis miscelam et vitam commutando agunt, et medicaminum seriem, quae sanguinis fluxum modo retardare videntur specifico, nec irritabilitatem vasorum simul diminuere, qualia digitalis herba et narcotica-acria nonnulla ipsi affinia. Huc etiam refero ruborem et turgorem in membris valide motis, huc sanguinis affluxum in partem ob caloris applicationem, vel stimulum chemicum admotum, omniaque hujuscemodi.

Plethoram ad spatium vel respectivam existere, plane nego, plethoram commotam ad irritationem, plethoram ad vires ad congestionem uti synonymon transfero.

§. 11.

Credo me praemissis annuisse paucis et demonstrasse, magnum numerum morborum, quae inflammationes vocentur, hoc inepte frui nomine; et

chronicas inprimis sic dictas phlogoses omnes vel inflammationes repetitas, vel eorundem sequelas, fines et producta, vel meras irritationes, imo congestiones et plethoras esse. Transeo ad occultas autorum inflammationes, quarum plurimae post mortem observatae, nil fuere nisi sanguinis extravasationes et suffusiones in organorum superficie. Irritationes et Congestiones, quarum adhuc post mortem videbantur vestigia, etiam saepe pro inflammationibus imposuere. Aëris atmosphaerici imo per tempus aliquod contactus valet ruborem augere membranarum, inprimis istarum, quae jam antea cum sanguine in contactu fuere.

Sic Hodgson arteriarum tunicam interiorem, ubi nec inflammationis suspicio aderat, ruberrimam vidit, rubore aqua sola non extinguendo, nec omnimodo superficiali, inprimis si aër atmosphaericus post mortem per longius admissus fuerat tempus.

Mirum est, quanta cum negligentia et voluptate quasi autores assumserint vocem occultae inflammationis, ubi vel noluere vel non potuere perscrutari morbi naturam. Quis non ridet Wilson legens morborum historias, qui producta febris intermittentis, vel aliùs Anglorum, Girdlestone opusculum, qui sequelas dysenteriae chronicae occulta a phlogosi provenisse asserit.

Aliam vero causam, cur justo frequentius accusentur inflammationes occultae, larvatae, vera suppeditat observatio, quam plurimos, morbis affectos chronicis, demum inflammatoriae affectioni succumbere. Phlogosis tunc, quae sub vitae finem hominem aggressa est, et a medico minus attento non detegeba-

tur sequelas suas offerens tunc pro inconspicua inflammatione imponit. Nam quamquam inflammationem typhosam, passivam et asthenicam omnino rejiciam, tamen non nego promergere posse phlogosin in debili, typho laborante, vel maxime asthenico, cum jam facile nobis cogitemus transitorium et subitaneum vitae organi cujusdam singuli accrementum, labefactata licet totius corporis vi ac robore. Gruithuisen contendit inflammationem semper antecedere stadium quoddam, ubi organorum vita deprimatur, quod simul stadium quemdam miscelae partium afferens mutationem organa apta redderet ad phlogosin, vel vitae accrementum irritativae et reproductivae subitaneum. Quamquam hoc non omni ex parte credam, nec in inflammatione partium minoris dignitatis necessarium habeam, tamen credo, ubi in organis stricte sic dictis emergit, tale antecedere stadium, et inde non omnino falsam esse Cl. viri sententiam: hac de causa nempe morbos asthenicos tantopere inflammationibus favere. Tamen non necesse est, uti quivis perspiciet, ipsae asthenicae sint.

§. 12.

Gangraena ipsa in visceribus saepe assumitur, ubi non adest. Mera sanguinis suffusio venosi facile pro ista minus attento et non rite ista perlustranti imponit. Nec si adest, ipsam jam satis probare inflammationem praegressam, concedam; nisi antea dolor et functio (excretoria vel secretoria scilicet) organi aucta, diminuta, vel sublata, nisi una voce, inflammatio aderat conspicua. Nxm noscimus gangraenae siccae speciem paralyticam, quae par-

tes nulla praegressa occupat inflammatione; noscimus gangraenam senilem, ex ossificatione vasorum saepius (vix semper) subortam, phlogosin sibi vulgo non praemittere; nec nos fugit spasmos vehementes, etsi talis rarior jam sit observatio, gangraenam, nulla praegressa inflammatione, movisse. Morborum ergo historiae, ubi inflammationum occultarum argumentum adducitur a gangraena in visceribus observata, aliam admittent huius phaenomeni derivationem.

Lymphae puriformis excretio saepiùs certe sub forma quam exuberantiam vocavimus, conspicitur, quam in vera, genuina inflammatione (sic, ut fere hunc exitum in phlogosi plane vellem negare). Induratio et voluminis partis accrementum post phlogosin remanentes difficile saepius a scirrhosis indurationibus, a steatomatosis, a varicosis plane diversis distinguuntur, nec minus facile commutantur cum Physconia, ex irritatione longius per tempus perdurante, quae facile exoritur. Ex his ergo nobis etiam non venit criterium certum praegressae inflammationis. Ubi demum abscessus in loco quodam conspiciuntur post mortem, praevia nulla visibili et signis certis animadvertenda in isto loco inflammatione, ad metastasin spectandum. Sic in nosodochio militari juvenem vidi polonum, militem, tironem, qui nostalgia laborans, valdeque jam emaciatus, subito per noctem nullo dolore vel tumore praegresso inter extremitatum musculos abscessus habuit magnos. Pulmones, post mortem, jam omnino fere exulceratione deleti, puris indicarunt fontem, nec occulta fuerat inflammatio quae hic loci

id genuerat, jam diaria nosocomii revoluta demonstrarunt, juvenem per plures menses nosodochii incolam, hoc peripneumonia affectum intrasse.

§. 13.

Objectionem, mihi hic facile faciendam, adhuc removeam, necesse est. Nervi viscerum plurimorum tam sunt insensiles, ut his organis etiam laesis saepius tamen dolores non edant. Cur ergo hic loci dolor appareat necesse est? Cur in quavis inflammatione dolor adest, sensibilitate tamen non aucta, nec morbosa?

Defensionem hic mihi parans, moneo: me, si de sensibilitate, vel irritabilitate vel demum reproductione aucta in organo loquor, eo non dicere, partes solummodo sensibiles, irritabiles vel reproductivas ejusdem inprimis affectas esse (nam tales proprie non existunt partes) sed me totum organon tunc credere in sphaeram sensibilem, irritabilem vel reproductivam intractum, huncque vitae radium damno suo, functionibus caeteris suis neglectis excolens. Quamquam ergo per cujusdam partis inflammationem sensibilitas in ista non provocata sit parte, tamen nervi ipsi irritabiles magis fiunt et ad vitam reproductivam magis intensivam, per hujus partis inflammationem, adducuntur. Non amplius nervi sunt sani, organi sani, sed nervi organi inflammati, quo ad sensibilitatem, actionemque ipsi annexam sani, sed commutati quoad partium in ipsis vicissitudinem et quoad irritabilitatem in ipsis (quibus ista, etsi magis latens semper inhaeret) provocatam.

Si cerebro cultrum infigimus non dolet, nam cerebro immittitur culter in directione sensibili vi-

vente, sensibilitate caetera systemata sibi quasi assimilante et subjiciente. Cerebrum inflammatum dolet, et doleat necesse est, nam hic cerebrum totum vivit irritabile, non memor est quasi se focum esse sensibilitatis. Philosophi recentiores ista jam indicarunt, sed plures eorum polaritatem ubique nimis quaerentes, ibi semper viderunt praeponderantiam systematis unius, et quasi rixam et oppositionem inter systema morbose irritatum et systemata sana.

Talis vero oppositio, talisque inter corporis systemata dissensus plane repugnat iis, quae de corporibus scimus organicis. Systema irritabile, sensibile et reproductivum tria sunt, simulque unum, cum unum solummodo per alterum existat. Reproductivum systema indifferentiae vel potius mutuae penetrationis amborum productum et genesis, hac de causa rarius solum trahitur in morbum graviorem, ubi omnis quasi corpus abit in productum. Ut plurimum impensis reproductionis vel irritabilis vel sensibilis vitae factor morbo sigillum imponit, totius vitae quasi dominium sibi arrogans.

§. 14.

Priusquam uti necesse ad thema redeamus, adhuc erit aptum paucis doctrinam de Crisibus et inprimis de Metastasi perlustrari, et, quae de his videantur, exponere. Movimus nempe opinionem: nullam existere phlogosin metastaticam, consensualem solummodo, et sequentia impedient ne falsae sententia nostra submittatur interpretationi.

Metastasin vel Crisin translatoriam, metaschematismi speciem nominarunt auctores, ubi morbo in organo vel plane, vel ex parte deleto; alius mor-

bus cum priore connexus in alio oritur organo, vel ubi morbus universalis abit in topicum. Sed in ista definitione multa desiderantur adhuc non allata, nec ipsa rem, quam designat stricte separat a similibus pathematibus. Nam a morbo consensuali extinctione solummodo differt morbi antecedentis, cum tamen definitio allata affirmet, saepius praegressum morbum ex parte perdurare. Si vero, hunc ut refligamus errorem, metastases omnes nominamus organi morbosas affectiones, quarum eruptione morbus cum ipsis connexus in alio extinguitur organo, evitantes Charybdin incidimus in Scyllam. Nam nunc nobis audiunt morbi consensuales, affectiones, quas medicorum pauci hoc jam induere volent nomine. Omnia nempe metastaseos exempla, ubi aperte materia quaedam nociva ex organo in aliud migrabat, consensu nunc sunt declaranda, quod quidem scio, nonnullos Pathologorum omnino fecisse, quorum vero, cum experientia tot reprobet argumentis opinionem, nolo vestigia premere. Si propriae venia concedatur opinioni sequentia aptiora viderentur.

1. Crisis sensu latiori omnis est morbi mutatio, respectu vel ejusdem intensitatis, vel typi, vel formae, vel characteris, vel demum ipsius loci.

a. Crisis sensu strictiore omnis est morbi mutatio, qua ejusdem intensitas vel plane vel ex parte infringitur, nulla simul suborta commutatione morbi quoad locum, formam et naturam.

b. Diadexis omnis formae est, vel characteris morbi mutatio, loco morbi non mutato. Haec quidem duplex, aut:

α. Diadoche. Ubi forma remanente morbi mutatur character; febris catharrhalis v. g. fit nervosa.

β. Metaptosis. Ubi forma morbi mutatur remanente charactere, intermittens nervosa abit v. gr. in remittentem nervosam febrem.

c. Crisis translatoria. Omnis morbi, eandem omnino naturam retinentis, migratio, quae vel:

α. Morbus sympathicus, consensualis, ubi remanente organi cujusdam morbosa affectione, vel plane vel ex parte, alia accedit remotioris organi cum priore nexa, dynamica magis et omnia propriae vitae percurrens stadia, a primo inde; vel:

β Metastasis stricte sic dicta, morbus metastaticus, ubi remanente vel plane vel ex parte organi cujusdam morbo, vel et isto plane deleto, aliud organon pathemate, nexum certum cum priore monstrante, afficitur, quod in eo mox incipit stadio, in quo tum temporis morbus versabatur prior, quodque mox ea producta, antecedentibus omissis, gignit, quae tum temporis jam provocaverat morbus prior.

Respiciens igitur haec contendo inflammationem consensualem solummodo esse, sequelas vero ejusdem, inprimis suppurationem, via metastatica propagari, ubi propagantur. Probatur id experientia, probatur omnis aevi inflammationis theoria, vix unquam feliciter fundamento materiali superstructa.

§. 15.

Inflammationem passivam multi exhibent autores, sed monet nos quaevis phlogoseos theoria ta-

lem non existere, et autores sub ejus nomine de mera loqui congestione. Concedunt pathologi recentiores ad unum fere omnes majorem irritabititatis in parte inflammata intensitatem, contendunt errasse Boerhaave et ejusdem sectatores, mechanicam per sanguinis protrusionem in vasa minora inflammationem declarantes, respiciunt vitalem organicumque in phlogosi processum, et tamen inflammationem habent passivam. Quis ipsos sequi vellet?

Reil, quamquam mihi succurrat, omnemque inflammationem dicat activam, tamen phlogosin habet typhosam et paralyticam, passivae suae affines. Si Reil in Typho energiam organi et in Paralysi hanc simul cum receptivitate credit labefactatam, contendo Typhum, ipsius mente, non existere; Paralysin vero ejusdem omnem inflammationem excludere. Concedo actionem organi post stimulum vel ad, vel praeter consuetudinem admotum, theoretice posse dispesci duos in factores, in receptivitatem scilicet vel stimuli perceptionem, et in energiam vel reactionem organi in stimulum, sed moneo, hanc divisionem solummodo idealem et omnino theoreticam, non valere, ut morborum distinctiones ei superstruamus Quaevis si accuratius examinas stimuli perceptio jam est reactio, et si reagitur perceptio item sane adest, reactione vero suspensa nec perceptionem, quasi subjectivam reactionis partem valere posse et vigere quivis credet. Nobis non amplius arridet ista in scholis brunonianis usitata numerorum in hos factores applicatio, demonstratura, imminuta factoris unius vi, augeri eam alterius et sic invicem. Non polarice opposi-

tae sibi sunt facultates, sed unius ejusdemque facultatis momenta coaetanea et arcte conjuncta, quae nos disjungimus solummodo abstrahentes ab eorum natura.

Sed ponamus, existere talem energiae solius depressionem, tamen ubi illa adesset sane non promergeret inflammatio, vitam organi intensive non extensive majorem sibi postulans. Paralytica tunc inflammatio in sensu Reil passivae ab ipso negatae tantopere est affinis, ut propria contra hanc afferre argumenta vix sit necessarium.

§. 16.

Paucis potius repugnabimus contra inflammationes intermittentes, quas autores afferunt.

Morbum intermittentem merito eum nominamus, cujus omnes recursus secum suut nexi et singuli tamen decursum morborum segregatorum simulant, quaeque semper in systematis nervei vitio, inprimis in turbatione splanchnicorum nervorum originem inveniunt.

Contendo, omnes ab autoribus allatas inflammationes intermittentes vel fuisse solummodo recurrentes inflammationes, vel recidivas, vel etiam nullo modo inflammationes, sed potius partium irritationes dyscraticas. Scio existere febres perniciosas, ubi in paroxysmo fere symptomata inflammationis cerebri promergunt. Sed primum istae febres non genuinae intermittentes sunt, apyrexiam non habent veram et puram, et ista dein symptomata phlogosin solummodo mentiuntur, et irritationis sunt potius testes cerebri. Cum vero phlogosin dicerem morbum continuum vel leviter remit-

tentem, non locutus sum de morbo absolute continuo, in rerum natura non existente, sed de morbo, cujus remissiones, non sat conspicuae, fere nullae videntur.

§. 17.

Nervosam inflammationem multis aggrediar, supervacaneum est; nam quivis facile intelligit: phlogosin in qua sensibilitas praevalet, phlogosin non esse. Fere omnia huc relata ad irritationem nostram pertinebunt, ubi sensibilitas mota, aliquid inflammationi simile gignit.

Serosam et lymphaticam phlogosin, quam sic nominant autores, quia credunt vasa serosa vel lymphatica inprimis esse affecta; assumere nequeo, censens, semper non solummodo systematis vasculosi partem, sed totum organon focum inflammationi praebere.

Si vero, uti Wedekind inprimis placuit autores, hanc serosam inflammationem ipsis auxilio vocare velint, ut omnem ad lubitum dicere possent morbum inflammationem, tunc ipsis latebras ut recludamus, eosque in apertum propellamus necesse est. Autor mox nominatus demonstraturus ubique in Typho existere encephalitidem sane non laudandus affert uti argumentum, saepe hanc esse serosam et inconspicuam, fugereque inde obducentium et vestigia quaerentium oculos. Nobis eo ostendit viam, qua tot inflammationes occultae et spuriae immigraverint theoriam medicam.

Gruithuisen praemissis falsis innixus (credens nempe omnem puram inflammationem procreare vasa, nervos et poros, ob ruborem, dolorem et ex-

sudationem, quae e sua sententia non aliter declarari licet) hypothetice assumit lymphaticam inflammationem, ubi vasa generantur inprimis lymphatica, et inde resorptio valet; nec minus hypothetice, hanc lymphaticam phlogosin per animalium seriem, vulgarem, imo jam polypis propriam esse. Si vigor resorptionis mox sufficeret ad assumendum novam vasorum lymphaticorum generationem, tunc in omni tabe adesset talis, nec sine illa ullus resorberetur tumor.

Si vero demum autores defendent inflammationem serosam ob exitum, tunc ipsis dicam, exsudationem inprimis exuberantiae, rarissime, si unquam, Phlogoseos exitum esse.

§. 18.

Inflammationem puram Clarissumi Gruithuisen non probo ob nimiam, quam ipsi attribuit nobilitatem, habens eam semper genetricem, et aequalis cum generatione dignitatis, omissis, quibus ista insistat comparatio. Inflammationum impurarum vero ille distinctionem petiit ab exitu, et imo puras suas inflammationes, si exitum insuetum monstrant, his annumerat. Sat vero conspicuum est et a nobis saepe allatum, hos exitus non amplius ad inflammationem pertinere, sed morbos esse distinctos, et inde divisio ista, exitu innixa jam non valet. Dein sub titulo impurarum phlogosium habet omnes, ubi non solummodo morbosa actio, sed item morbosa et chemica mutatio substantiae organicae adest, talem vero dyscraticam in organis miscelam et ipsius producta jam non amplius nominamus inflam-

mationem, et a phlogosium, uti sequentes docebunt paragraphi, segregamus serie.

Affert Gruithuisen: inflammationes istas, quae exitum vel nullum conspicuum praeberent, vel finirent per desquamationem, puras esse ab initio, seu mox purificari ger crises; quo nobis indicat, se in inflammationibus plurimis credere materiale quoddam; ope crisium ejiciendum, nec censere ipsum hos morbos mere dynamicos uti merentur.

§. 19.

Cum his impuris inflammationibus fere conveniunt, eorumque synonyma sunt inflammationes sic dictae specificae, dyscraticae. Existunt sane specificae, id est, propria et distincta natura gaudentes, inflammationes respectu organorum affectorum et systematum.

Sic hepatis inflammatio longe alia quam illa tracheae. Sed existere specificas, respectu causarum, inflammationes, plane nego. Omnis nempe cujusvis generis, irritatio, quae inprimis irritabilitatem et vim plasticam reproductivam in parte provocat certa, unam eandemque in ista profert phlogosin; si fuerit vero hoc irritamentum dyscraticae naturae, tunc, inflammatione peracta, adhuc in organis restitant chronica momenta morbosa; quae etiam apparatum antiphlogisticum non amplius sibi exposcunt. Omnis gonorrhoea virulenta in initio rite antiphlogistica methodo oppugnatur, item hanc medelam originis arthriticae vel rheumaticae inflammatio postulat, sed in stadio provectiori, ubi non amplius mera virium partis, totiusque corporis reactio, sed jamjam corruptela et modificatio vitae

organi adest, vix aliquo cum successu afferre licebit, ista antea tam utilia phlogosi contraria.

Equidem persuasum habeo, fere omnia dyscratica et contagiosa momenta, quae in corpus agunt humanum habere primum stadium solummodo inflammatorium dicendum, ubi vita organi, cui applicantur (prae ceterarum tamen partium, etsi totum simul afficiatur corpus) adhuc integra repugnat his alienis et nocivis, inde exaltatur et phlogosin profert. (Excipiam solummodo ea contagia, quae vel Hydrogenio abundantia, vel tamen qualitate ei respondentia vim inprimis partium nerveam aggrediuntur, inter quae e. g. salivam canum rabiosorum et acidum hydrocyanicum refero. Morbi a tali contagio producti, sane in primo stadio nil inflammatorii habent, sed potius spasmodicam prae se ferunt naturam. Erravit Haase certe, erravit item Kreysig hydrophobiam pro morbo sumentes inflammatorio. Consentiunt etiam mecum fere omnes hucusque pathologi hunc dispescentes morbum in stadium spasmodicum seu prodromorum, in stadium convulsivum et demum hydrophobicum.) Sed secundum morborum contagiosorum stadium jam nobis vitam organi pessumdatam, et per irritamenta ista victam specifica monstrat, quae toto organismo characterem quasi imponit et morbum sic excitat diversae, secundum contagii diversitatem, naturae.

§. 20.

Merito solummodo primum in his morbis stadium mere inflammatorium et nil specifici continens pro phlogosi sumendum; stadium secundum dyscraticum ad inflammationem non amplius perti-

net, morbus est disjunctus et alio nomine salutandus, quae etiam his in morbis, si utrum stadium sat protrahitur et symptomata evolvit optime in oculos cadit. Existunt vero morbi, qui stadio vel uno vel altero fere obliterato a potiori denominandi, vel ob praevalentem phlogosin inflammatorii, vel ob praevalentem chronicam affectionem dyscratici morbi nobis audiant necesse est. Sic si Arthritis gastritidem movet, dyscraticum vix apparet stadium, nisi proxime ad morbi finem et intestinorum hanc affectionem veram dicimus phlogosin. In ophthalmitide vero scrophulosa stadium mere inflammatorium tam breve, saepius tam inconspicuum, ut hunc debeamus nominare statum dyscraticum morbum, nec phlogosin.

Quanquam scio, mihi nunc ad absolvendum opus hos morbos dyscraticos et inflammationum exitus exponendos esse, tamen, tempore ac spatio deficiente, operi manco, cui, tali quali, faveat lector, finem impono.

THESES.

1. Polyporum cordis ac vasorum triplex origo, cum vel post mortem, vel per exuberantiam, vel per vim plasticam et vitam magis intensivam ipsius sanguinis provocentur.

2. Vesica fellea ipsa etiam bilem secernit.

3. Contrastimulantia, vel directe debilitantia et deprimentia existunt medicamina.

4. Nervi ubique in partes contrahendo agunt nec iride nec membro virili exceptis.

5. Ad declarandam lapidum meteoricorum originem sic dictorum prae caeteris inservit hypothesis Galli Yzarn.

6. Eudiometria adhuc nulla existit et quae ex huc usque institutis experimentis resultarunt, ipsa probant non valere reagentia allata.

7. In re botanica systema naturale ejusdem pretii non potest existere, quam in Zoologia et Mineralogia.

8. Adhuc non demonstrarunt Chemiae cultores, aquam et aërem composita esse.

9. In Chemia recentiori non existunt amplius metalla, nec salia, alcalia aut acida, cum definitione iam nunc disiungi nequeant.

10. Agens nervosum etiam sanguini sat copiose inhabitat.

VITAE CURRICULUM
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Friedericus Guilielmus Hemprich Glatzii in comitatu eiusdem nominis d. 24to M. Iunii 1796 natus sum, patre, chirurgo huius urbis forense, cuius per menses paucos optimi obitum doleo, matre e gente Gansaugiana. In Gymnasio Glacensi, postquam iam a pastore Pohl, urbis patriae ecclesiastico, cui gratae mentis hic publice offero vota, litterarum primas acceperam lineas et rudimenta, per triennium fere vacavi studiis humanitatis. Ineunte anno 1813. Gymnasio relicto, chirurgi suscepi munus militaris, quo ad finem usque anni 1815. functus sum. Tunc examine absoluto, cum testimonio maturitatis Vratislaviam me contuli, ubi Ill. Link, tum temporis fasces academicas habens, me numero civium academicorum adscripsit.

Adfui per semestre; praelectionibus quae habuere: Ill. Link de Encyclopaedia medica, Ill. Steffens de Physica, Celeb. Hagen de rebus anatomicis et Celeb. Heyde de terminologia botanica, nec non illis Clar. Rohowsky in Terentium et Sophoclem. Vere ineunte cum reardesceret belli fax; chirurgi militaris per annum denuo officia praestiti. Reveniens demum ad Medicinae studium iterum Vratislaviam me contuli, ubi lectionibus

suis interesse veniam dederunt: Ill. Bartels legens de Pathologia universali, de Physiologia humana, de Temperamentis et de Electricitate animali; Ill. Steffens disserens de Physiologia universali et comparata, de Anthropologia et de terrae historia inferiori. Item frequentavi Ill. Remer tractantem de Materia medica, Ill. Otto Anatomiam pathologicam et comparatam permeantem, nec non nobis cultrum anatomicum ducendi modum practice demonstrantem; Ill. Benedict chirurgiae universalis praecepta docentem, cuius visitavi simul clinicum chirurgico ophthalmiatricum. Non abfui demum cum Ill. Treviranus locutus est de Physiologia et Anatomia plantarum et Celeb. Henschel de Phytotomia. Illust. Gravenhorst copiam benigne dedit museum universitatis permigrandi zoologicum, et me, perpetuo gratitudinis vinculo sibi adligatum Amphibiologiam docuit.

Mense Octobre anni 1817. Berolinum petii, ubi iterum me in numerum Medicinae studiosorum assumsit Ill. Link t. t. Rector. Adii praelectiones Ill. Horn de Therapia speciali et sub eiusdem et Perill. Hufeland auspiciis medicinam feci. Insigni benevolentia Ill. Lichtenstein permisit, ut in Museo regio zoologico studia continuarem mea, et auxilio consilioque ubique mihi succurrens, fautorem mihi nunquam satis colendum se praebuit.

Peracto tentamine et examine rigoroso, nec non absoluto cursu anatomico chirurgico et clinico, praepositam de inflammationis notione conscripsi, eam publice defensurus, dissertationem.